



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XIV. Alexandri Papae III. Ad Thomam Archiepiscopvm
Cantvariensem. Munus apostolicae legationis ei iniungit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA XIV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM
CANTVARIENSEM.

Munus apostolicae legationis ei iniungit.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomae
archiepiscopo Cantuariensi salutem & aposto-
licam benedictionem.*

SACROSANCTA Romana ecclesia digniores personas, & eas maxime, quas honestate, prudentia, & literatura, & eminentia virtutum præfulgere cognoscit, ampliori consueuit caritate amplecti, gloria & honore præuenire. Attendentes itaque deuotionis & fidei constantiam, qua pro ecclesia Dei sicut columna immobilis perstisti, honestatis, & literaturæ, ac discretionis prudentiam, qua præeminere dignosceris, nihilo minus considerantes, dignum duximus personam tuam, tantarum virtutum insignibus decoratam, quodam speciali priuilegio & singulari prærogatiua diligere & honorare, tuque vtilitati solita benignitate prospicere, & attentiori solicitudine prouidere. Inde est, quod nos tibi legationem totius Angliae, excepto episcopatu Eboracensi, benigno fauore concedimus, vt ibi vice nostra corrigas quæ inuenieris corrigenda; & ad honorem Dei & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & salutem animarum statuas, ædifices, & plantes, quæ statuenda fuerint & plantanda. Quapropter monemus fraternitatem tuam, atque mandamus, quatenus cuncta cum prouidentia & discretione, secundum quod Deus tibi administrauerit, agas, vitia extirpes, & virtutes in vinea Domini studeas complantare. Datum Anagniæ septimo Idus Octobris.

EPISTO-